



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi**

**Johannes <Climacus>**

**Coloniae, 1583**

**VD16 J 520**

Quomodo iuuenis aurifex à viro Patricio sit in filium adoptatus. Capvt CC.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

Quomodo se habet veritas: Dicunt ei Angeli: Ausculta ei nam vera loquitur, & recte ista profertur. Dixit autem eis senex: Quare vos non dixistis mihi: Dixerunt autem illi angeli: Deus ita disposuit, vt homines ab hominibus corrigantur.

1 *Aduerte hunc simplicem patrem potius ex Dei misericordia, quam ex vi illorum verborum sacram Eucharistiam consecisse, si illa formam corrumpent.*

2 *Offerre sacrificium, Missam celebrare intelligi.*

*Quomodo iuuenis aurifex à viro Patricio sit in filium adaptatus.*

## C A P V T C C.

**N**arrauit nobis quidam sanctorum patrum, quod iuuenis quidam ingeniosus se ad aurificem pro discenda arte contulerit, quæ dum solerter addiceret, vnus ex patricijs iniunxit eis, vt Crucem auream lapidibus pretiosis ornata facerent, quo illam Ecclesiæ offerret. Et quoniam valde ingeniosus erat adolescens, iniunxit illi magister eius id opus. Cœpit ergo adolescens cogitare intra se, ac dicere: Si iste tantas offert pecunias Christo, cur non & ego mercedem meam in istam Crucem conferam, vt eam mihi, tanquàm duo minuta viduæ, computet Christus? Cogitans igitur quantum mercedis esset accepturus, mutuatur id, & in Crucem mittit. Veniens itaq; Patricius ponderat Crucem, priusquàm in illa lapides includerentur, inuenitq; plus habere ponderis, quàm constituerat. Cœpit itaq; minitans virgere adolescentem, quasi fraudem fecisset, aurumq; adulterasset. Tunc ait illi adolescens: Nouit ille, qui solitudinem scrutatur arcana, quia nihil tale feci. Sed cum viderem te tantum pecuniarum Christo Domino obtulisse, cogitavi immittere mercedem meam.



meam. vt & ego partem habeam tecum, vtq; me suscipiat Christus, quemadmodum duo minuta viduæ illius accepit. Stupefactus ille dixit iuueni: Itane, fili, cogitasti? Ait ille: Ita sanè. Patricius vero dixit illi: Quoniam ita cogitasti, totamq; voluntatem tuam obtulisti Christo, volens habere partem mecum, ecce ex hodierna die suscipio te mihi in filium, hæredemq; constituo. Et assumpsit eum secum, atq; hæredem suum fecit.

*Vita viri Constantinopolitani nobilissimi, cui pater moriens Dominum Iesum Christum reliquit curatorem.*

## CAPVT. CCI.

**N**arrauit quidam patrū dicens: Ascendi aliquando Constantinopolim cuiusdam necessitatis gratia. Cùmq; in Ecclesia sederē, ingressus est quidam secularis, maximè illustris, atq; fidelissimus. Is cùm aspexisset me; accedens saluauit cum omni charitatis officio. Et post salutationem sedit iuxta me, & cepit interrogare de his, quæ pertinent ad animæ salutem. Cùmq; ego illi dicerem, quòd his qui ritè terrena disponunt, cœlestia quoq; donantur: Benè, inquit, pater, dixisti. Nam verè beatus est, qui spem suam in Deum ponit, & se ipsum totū committit Deo. Et dicebat: Ego filius fui cuiusdā secularis gloria clarissimi. Erat autē ipse pater me<sup>o</sup> elemosynis maximè deditus, & plurima pauperib. distribuebat. Die ergo quadā vocauit me, & ostēdit mihi omnes pecunias, dicens: Fili, quid tibi gratius est, vt dimittam tibi pecunias istas, an Christum curatorem tuum? Ego, cum placerēt mihi, quæ faciebat, respondi me Christum malle. Ista enim omnia prætereunt, & hodie sunt, & cras non erunt, Christus autē manet in æternū. Quod ille cùm audisset, oīa